



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

§. 17. Callistus Antipapa subjicitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

Sæcul. XII. se contulit, & tandem in Festo Paschæ
A.C. 1178. Tiaram cum corona, quæ *Regnum* dicitur,
 gestavit.

§. XVII.

Callistus Antipapa subjicitur.

Act. ead. ap.
Baron. an.
 1178. Sub finem anni superioris Antipapa
 Joannes *de Struma*, alio nomine Calli-
 stus, comperta Alexandri & Imperato-
 ris reconciliatione, Viterbio clam aufu-
 giens, ad montem Albanensem venit,
 sub tutela Joannis, Arcis illius Domini,
 futurus. Imperator vero, ne suspicandi
 esset locus, ipso conscio hæc fieri, pro
 more Imperii, Antipapæ & omnibus e-
 jus Fautoribus bellum indixit, nisi prom-
 tissime Alexandrum Papam reciperent.
Rom. Chron. Cum igitur post reditum suum Tuscu-
 lani ageret Papa, in Festo Decollationis
 S. Joannis, vigesima nona Augusti, anno
 millesimo centesimo septuagesimo octa-
 vo, Joannes *de Struma* ad ejus pedes
 cum quibusdam Clericis suis accessit, &
 in conspectu Cardinalium, aliorumque
 adstantium, peccatum suum publice
 confessus est, veniam rogavit, ac Schisma
 abominatus est. Quem Alexander Pa-
 pa, ut erat mitissimi ingenii, ne quidem
 objurgatum recipiens, *Ecclesia Romana*,
 inquit, *te resipiscentem filium suum læta*
amplectitur, & pro malis bona reddit.
 Nec factis Alexander acerbior quam ver-
 bis

bis fuit; nam Joannem semper honorifice habuit, quin etiam mensæ convivam adhibuit. Porro vigesima nona Septembris non nulli Schismatici Antipapam eligere ausi sunt Landum Satinum, ex genere Frangipanum, quem Innocentium III. appellarunt. Eum quidam ex ordine Equestri, Octaviani Antipapæ frater, immani odio in Alexandrum Papam flagrans, præsidio suo tectum, in Arcem, quam more militari munitam prope Romam habebat, recepit.

Sæcul. XII.
A.C. 1178.

Jo. de Cesc.
1178. Acta
Aquicinct.
an. 1179.

§. XVIII.

Concilium Generale convocatur.

Alexander Papa, ut zizania longi Schismatis tempore in Ecclesia nata eveleret, Concilium Generale Romæ, prima Dominica Quadragesimæ anni sequentis millesimi centesimi septuagesimi noni, indixit; quod ex Epistola, ad Archiepiscopum Pisanum ceterosque Tusciæ Episcopos & Abbates Tusculani data, dispicimus. Vocati etiam nominatim omnes Episcopi & Abbates præcipui Ecclesiæ Latinæ; quia vero multis iter imperatum suscipiendi facultas deerat, data pecunia dispensationem obtinuerunt. Quæ res non nullis occasio crendi fuit, hanc convocationem a Curia Romana lucri causa fuisse adornatam. Ita

to. 10. Conc.
p. 156.

G. Nenbrig.
lib. III. c. 2.

Guiliel-